

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Contemplacio p
cum fonte primo

Cum contemplacionis arcem aliqui tenere desiderant,
prius se in campo per exercitium operis probent
ut sollicite sciant, si nulla iam mala proximis irrogant,
si irrogata a proximis equanimiter portant,
si obiectis bonis temporalibus
nequaquam mens leticia soluitur,
si subtractis non nimio errore sauciantur
aut deinde perpendant,
si cum ad semetipsos introrsus redeunt
in eo quod spiritualia rimantur,
nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt
uel fortasse tractas manu discrecionis abigunt.

Gregorius VI. moralium.

Qui igitur culmen apprehendere perfectionis nituntur,
cum contemplationis arcem tenere desiderant,
prius se in campo operis per exercitium probent
ut sollicite sciant si nulla iam mala proximis irrogant;
si irrogata a proximis aequanimiter portant;
si obiectis bonis temporalibus
nequaquam mens laetitia soluitur,
si subtractis non nimio moerore sauciatur;
ac deinde perpendant
si cum ad semetipsos introrsus redeunt,
in eo quod spiritalia rimantur,
nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt,
uel fortasse tractas manu discrecionis abigunt;
si incircumscriptum lumen uidere cupientes,
cunctas circumscriptionis suae imagines deprimunt,
et in eo quod super se contingere appetunt,
uincunt quod sunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143,
M. Adriaen ed., p.329, ll.142-153).